



Dissertatio medica inauguralis de affectione hypochondriaca

<https://hdl.handle.net/1874/342126>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

AFFECTIONE HYPOCHONDRIACA,

QUAM,
DIVINA FAVENTE GRATIA,

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris ; ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu ; Nobilissimæque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè consequendis,

Eruditorum Examine subjiçit

JOHANNES BOUWER, Oppenheimensis.

Ad diem 27. Junii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō Ibc LXXXVIII.

DISPUTATIO MEDICA
IN ACADEMIA

AFFECTIONE HYPOCHONDRIACA
QUAE
DIVINA FAVENTE GRATIA

D. M. JOHANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, & Medicinae Practicae in Insulae Aethiopiae
Universitatis Praefecti, & Praesidis, &c.

PRO GRADU DOCTORATUS
MEDICINAE IN ACADEMIA
INSULAE AETHIOPICAE
PRAEFECTI, & PRAESIDIS, &c.

JOHANNES LUYTS, Typographus



FRANCIAE AETHIOPICAE

Ex Officina FRANCISCI HALMAE, Academicus
Typographi, cl. 1777.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

D E

AFFECTIONE
HYPOCHONDRIACA.

THESIS I.



Uum Hypochondria magno cum dolore & cruciatu, nunc magis in dextro nunc magis in sinistro latere extendantur; & ubi adsint intestinorum fluctuationes, murmura, rugitus, pulsationes, musculorum abdominis, & respirationi servientium spasmodicæ contractiones, acidorum, ac austerorum, etiam biliosorum, quandoque vomitus & adstricta alvus, urina variabilis, nunc crassa turbida, nunc clara, cum cordis palpitatione & tremore, etiam Lypothymia vel syncope; nec non metus & tristitia, atque cardialgia ante & post paroxysmum cum fame plerumque, pulsu rardiore, aliis melancholiæ signis adjuncta; Hæc omnia *Affectio Hypochondriaca* aut *Melancholia Hypochon-*

4 DISPUTATIO MEDICA

chondriaca appellari consueverunt. Videtur quod Sanguinis massa, cerebrum & supradicta viscera, &c. afficiantur.

I I.

Inter causas ut plurimum recenseri potest Melancholia, quæ functiones totius corporis deturbare potest; scilicet ubi per tristes & phantasticas cogitationes spiritus in cerebro nimium detenti, non ad inferiora ad functiones omnes peragendas, ut chylicationem, sanguificationem, circulationem &c. determinari queant.

I I I.

Diæta prava huic malo multoties præbet ansam; ubi immaturi, crudi, acidi, austeri, falsi & viscosi, ut fructus acidi & immaturi, pisces & carnes falsi &c. comeduntur, & potantur; nec non corpus quandoque frigori exponitur: Hic quoque annumeranda sunt vita ociosa & sedentaria & quoque menstrua obstructa.

I V.

Ex quibus enumeratis, succi acescentes & incrassati, in his illive viscerum partibus, sc. lienis mesenterii, pancreatis, glandularum intestinorum, ventriculi &c. obstructions parientes, & demum, maturati, per hunc illumve motum suscitati & commoti, in intestinorum dextram, aut sinistram partem, ubi etiam acidum, pituita, corrupta bilis, chylus & pancreaticus succus reperiuntur, propulsi ibique fermentantes, seu potius effervescentes, sic bullulas copiosissimas conficientes, fluctuationes & murmura causant & totum ventrem cum vehementia inflant, nervos pungunt, & paroxysmus, cum alvus adstricta sit, summopere gravatur.

V.

Prædictum verò fermentum, eodem tempore ex illis partibus in sanguinem fertur, ibique tunc illius mixturam contrarietate particularum acidarum adeò deturbat, ut exinde febris cum suis consuetis Symptomatis, (ut sunt frigus, calor, pulsus celer, Lypothymia, vomitus &c.) oriatur; quæ paroxysmo cum sudore solvitur, quia materia partim per intestina & vomitum, expellitur, partim per diuresin & diaphoresin foras protruditur.

VI. Cum

V I .
 Cum vero humores illi acres ad ventriculi glandulas , & nervo-
 sam ejus substantiam propellantur , easque rodant ac pungant ; ibi
 tunc acidorum , austerorum , viscidorum , biliosorum , &c. per
 convulsionem pariunt vomitum.

V I I .
 Palpitatio cordis etiam circa hunc affectum observatur , eaque
 propter turbulentam & irregularem Spirituum in cor influxum ,
 illudque magis aut minus convellens , prout spiritus fortiori aut
 debiliori impetu determinentur , aut etiam majori vel minori acre-
 dine aut visciditate imprægnati sint , & hinc illa palpitatio , eo
 magis quia externorum convulsione sanguis in istis partibus in suo
 motu sistitur , & propterea cor sanguinem non libere potest ex-
 pellere.

V I I I .
 Irregularis quoque spirituum influxus circa musculos respira-
 torios , cæterasque partes crurum brachiorumque observatur ; sci-
 licet ubi turbulento acrioris sanguinis & spirituum motu cere-
 bri fibrillæ nimis vehementer convulsæ & tubuli magis aperti , ma-
 jorem ut oportet Spirituum copiam ad subjacentes musculos de-
 terminant , & acredine sua convulsiones & spasmos produ-
 cunt.

V I X .
 Lypothymia & Syncope quæ in principio paroxysmi plerum-
 que adsunt , a prædicta materia acida sanguinem adeo coagulante ,
 ut spirituum satis magna copia pro circulatione segregari nequeant ,
 proveniunt.

X .
 Alvus adstricta ante & post paroxysmum in his ægris perquam
 familiaris est ; quia sanguis plus debito viscidus & crassus , inte-
 stinorum glandulas propterea obstruit , & fermento deficiente sæ-
 cum alvinarum prohibetur excretio.

X I .
 Urina quandoque crassa & perspicua ; magis aut minus colo-
 rata , majori , aut minori hypostasi excernitur , pro ut succi ma-
 gis

6 DISPUTATIO MEDICA

gis aut minus acidi, salii, visceri, coagulati aut febriculosi sint.

XII.

Metus atque tristitia hunc comitantur morbus, & vel præcesserunt & affectum procearunt, vel ex illo provenerunt. E turbulento enim sanguinis motu ab humoribus acrioribus causato, cerebri spiritus irregulariter agitantur, & sic nimis detorquentur, ita ut sinus & anguli quidam formentur in quos spiritus deturbati instuunt, & inconsuetas pariunt in cerebro agitationes, de quibus anima malè judicat, quia objecta ei male ob defectum organorum ostenduntur, & ea propter illa metuit & contristatur, eo magis, quia spiritus ut dictum est nimis diu in istis sinibus cohæreant & remaneant, & sic quoque stultitiam inducere possunt.

XIII.

Affectus ille Curatu difficillimus & rarissime lethalis est, & in Epilepsiam quidem mutare potest, cum nimis altas, idque inveteratione, egerit radices; Et ubi imprægnatæ supervenerit, per facile abortum, paroxysmi vehementiâ, posset inducere, illamque postea reddere infæcundam, & etiam ut dictum memoriam læsam, stultitiam &c. adfert.

XIV.

In Causarum tum antecedentium tum præsentium cognitione, nec non in humorum acriorum & viscerorum temperatione & attenuatione, & sic functionum læsarum restitutione, idque diaphoreticis, diureticis, & acidum temperantibus, consistit cura.

XV.

Urgente in paroxysmo Syncope Spiritus salis arm. fortis sub naribus teneatur & æger suscitetur, tunc adstrictâ alvo à vestigio injiciatur clyster, flatus discutiens ventremque laxans, ut illo aperto & laxo, & flatibus & materiæ effervescenti ut dictum, & prementi deorsum diaphragmati aperiatur via, Sequens ergo convenit formula.

℞. Rad. Enul. Camp. brionia a. ℥℞.

Bacc. Laur. Juniper. an. ℥iij.

Fl. cham. melilot. an. mʒ.

Sem. cumin. anis. an. ℥ij.

Coq. ex s. q. aq. Commun. ad ℥x.

Colatura, adde tinct. castorei ℥iij.

F. Clyster.

Eodem momento oportet dari Tincturæ vitæ aut matricalis aut Tincturæ castorei, cochleare unum ac alterum, vel salis volatilis cornu cervi aut oleosi sylvii. ℥℞ aut ℥j, magis aut minus prout paroxysmus urgeat, vel syncope vel Lypothymia adsint graves. Interim, premente adhuc paroxysmo, cataplasma sequens toto ventri calide ad imum usque super impositum multum opitulabitur.

℞. Herb. ruta mente an. mʒ.

Caryophyll. macis an. ℥℞.

Nuc. moscat. ℥j. Bacc. lauri ℥ij.

Sem. Cummin. ℥i℞. sal. sarment. ℥ij.

Cum vini gallici s. q. f. s. a. Cataplasma, cui addatur, si applicetur sp. sal. arm. ℥℞. vel ultra.

Hæc omnia transpirationem & sudorem promovebunt, & prædicta symptomata tollent, quia materiam prædictam foras pellunt, flatus discutiant, & vomitum cohibere sunt valentia.

X V I.

Extra paroxysmum, necesse est, ut tollatur cacochymia & scorbutum, & deobstruantur in scæminis, si oppressi sint menses, adaptatis remediis, ut ita sanguine & humoribus bene dispositis, non tam vehemens redeat paroxysmus; & si fieri potest, ægrum relinquere coactus sit.

Idcirco pulvisculus e salis tartari vitriolat. & vitrioli martis aliquot granis, per aliquot dies, cum vino generoso aut jusculo carnis sumtus, convenit.

Porro

XVII.

Porro Decoctum e rad. Chinæ falsæ & lign. Guajac. rud. bardan. rad. Contrayerv. Bacc. lauri Bacc. Juniper. herb. Scord. salviæ &c. parari, & semel aut bis in die calide cum potu Koffee, cum admixtis quandoque antiscorbuticis succis. exhiberi potest.

Summopere etiam succi cochlear. Becabungæ, rutæ, apii, nasturtii aquatici, trifolii. aq. &c. cum vino chalybeato, profuunt; nec non Extracta Cardbened. Centaur. scordii, rutæ, absintii, gentianæ &c. cum salibus tam fixis, ut sal. tartari, armoniac. absintii, & terreis ut oss. sæpiæ oc. Can. test. ovar. &c., quam volatilibus ut cornu cervi, aliorumque cornuum, succini &c. mixta. Sudationes cum vini Spiritu vel in balneo, quia multum acidi per diaphoresin tali pacto excernitur, licet instituire.

XVIII.

Diæta exacta multum confert: Aër sit ergo purus, non nebulosus neque fætidus: sed moderate calidus. Cibi & potus non sint acidi, falsi nec viscidi; sed facilis concoctionis & bene fermentati. Super prandium & cænam quandoque maturi parum bibat vini, nec non interdiu potum Koffee cum supradietis extractis &c. Vigilæ & labores sint modici; nec non pathemata immodica fugiat omnia. Quandoque vivaciori hilarique collegio interfit

